

21

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
P O D A G R A.
Q U A M

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

FRIDERICI GUILIELMI PESTEL,

JURIS UTRIVSQUE DOCTORIS ET JURIS PUBLICI
AC PRIVATI PROFESSORIS ORDINARIJ,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite
ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JOSEPHUS PINTO AB AZEREDO.

B R A S I L I E N S I S.

*Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Soc. Phys.
Amer. Edin. Soc. & Praefes Annuus.*

Ad Diem XI. Junii MDCCLXXXVIII. H. L. Q. S.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD FRATRES MURRAY,
MDCCLXXXVIII.

REPORT OF THE BOARD OF DIRECTORS

1911

THE BOARD OF DIRECTORS OF THE
AMERICAN RED CROSS

REPORT OF THE BOARD OF DIRECTORS
FOR THE YEAR 1911

PRESENTED TO THE ANNUAL MEETING
Held at the Hotel Waldorf-Astoria, New York, June 1, 1912

THE AMERICAN RED CROSS
OF THE UNITED STATES
INCORPORATED IN THE DISTRICT OF COLUMBIA
OFFICE: 1701 K STREET, N.W., WASHINGTON, D.C.

NEW YORK: 1912

PRINTED BY THE
AMERICAN RED CROSS
OF THE UNITED STATES
1701 K STREET, N.W., WASHINGTON, D.C.

THE AMERICAN RED CROSS
OF THE UNITED STATES

INCORPORATED IN THE DISTRICT OF COLUMBIA
OFFICE: 1701 K STREET, N.W., WASHINGTON, D.C.

NEW YORK: 1912

PRINTED BY THE

AMERICAN RED CROSS

OF THE UNITED STATES

1701 K STREET, N.W., WASHINGTON, D.C.

V I R O

A M A B A B I L I S S I M O.

HANANEL ^{ET} JACOBO
MENDES A COSTA.

MERCATORI BRITANICO,

Q U I

SE SUOSQUE

BENEFICIIS FERE INNUMERIS

ET CURA VERE PATERNA


SEMPER PROSECUTUS FUIT

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM

PARVUM GRATI ANIMI TESTIMONIUM

SACRARE VOLUIT

A U C T O R.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS.

D E

P O D A G R A.



uoniam a quocunque ad summos medecinae honores evehi cupienti, ut aliquid, priusquam eas recipiat, in lucem adeat postulatum sit, quo de ejus peritia in rebus medicis judicetur, hac Dissertatione de *Podagra* tractare decrevi. Licet autem hujus morbi plenam & accuratam historiam scribere, & cha-

A

racte-

2 DISSERTATIO MEDICA

racterem omnibus varietatibus respondentem concinnare perdifficile sit, tamen ut illum, ejusque discrimina, prout decurrere solet, accurate exponam, operam dabo. Quare sequente definitione à Nosologia Cullenii deducta incipiam.

DEFINITIO.

„ Morbus hæreditarius, oriens sine causa externa evidente, sed præeunte plerumque ventriculi affectione insolita; pyrexa; dolor ad articulum, & plerumque pedis pollicis, certe pedum, & manuum juncturis, potissimum infestus; per intervalla revertens, & sæpe cum ventriculi, & internarum partium affectionibus alternans. ”

HISTORIA MORBI.

Podagra morbus est hæreditarius sed eos tali hæreditaria labe carentes aliquando invadit: senes, qui epulis laudatoribus, vino & aliis liquoribus spiri-

I N A U G U R A L I S.

3

rituosius meliores vitæ dies transegerunt , atque ea ingravescente ætate omittunt , eo morbo laborant. Hinc jure observatum est , homines ante annum ætatis trigesimum quintum podagra non conflictari. Licet autem aliqua dantur exempla hujus morbi maturius ingressa , attamen eorum numerus exiguus , labesque hæreditaria valde magna videtur , aut cum causæ remotæ majore gradu & vehemenita agunt.

Eunuchi podagræ sunt obnoxii , illi præcipue qui otio torpent , diætâ plenissima utuntur , & habitu sunt robusto. Præterea eos aggreditur , quorum corpora vasta , crania grandiuscula , habitum crassum & plenum , cutem densiore *reticulo mucoso* tectam nobis videtur. Graciles , & macilenti minus infestantur. Ergo qui continua exercitatione , itemque vegetabili potissimum utuntur victu , raro afficiuntur.

Hic morbus mulieres non omnino parcat. Illas , quæ robustiores , & plenioribus sunt habitu ; itemque sæpissime ante mensium cessationem , aliquando cum menstrua solito abundantiora sint , invadere videtur ; etsi huic sexui rarius contingere fatendum est.

4 DISSERTATIO MEDICA

Podagra aut *regularis*, aut *irregularis* est. *Regularis* phænominis genuinis, propriisque se ostendit. Hujus paroxysmus in affectione inflammatoria, quæ sæpe subito, & absque ullo admonito ingruit, quorundam articulorum consistit. Sed plerumque aliqua symptomata, prout suppressio sudoris pedum, extremitatum frigus, harum varices, crebri musculorum crampi, cum punitionis, & fornicationis sensu frequens stupor præcedunt.

Hinc totum corpus languore quodam, & torpore afficitur. tum stomachi functiones læduntur: Cibi appetitio imminuitur, flatuum molestia, & cruditas percipiuntur. Sed pridie paroxysmi appetitus voracior fit, & ægrotus sanus lecto somnoque committitur. Secunda vero aut tertia hora post mediam noctem dolor uno pede incipit, qui aliquando pollicem tantum, aliquando calcaneum, suram occupat. Horripilatio quædam dolorem comitans nunc gravior, nunc levior fit: statim æstus febrilis percipitur. Ipse dolor principio non valde violentus paulatim vehementior crescit. Cito tensivus, dilace-

I N A U G U R A L I S . 5

lacerans, coarctans, qui per articulorum membranas, tendines, & ligamenta extenditur, usque ad mediam sequentis diei noctem perdurat. Quo durante miser moveri nequit, ipsius lecti stragula vix fert; pavimenti tremor levisissimus, aliquo scilicet de ambulante, ejus patientiam dejicit. Nec minor est totius corporis jactatio incessans, quæ semper paroxysmum comitatur, quam torti membri agitatio & dolor. Hinc ægrotus afflictus mille conamina tum totius corporis, tum membri affecti sitûs mutatione assidua, constanter facit: sed frustra! Ipse dolor decurso Nychthemeri spatio iterum gradatim decrescit; fudor supervenit; æger subito ab afflictione respirat, atque defatigatus somni amplexibus committitur. Sequenti die à somno evigilans partem dolentem rubore, & tumore affectam percipit. Hæc per aliquos dies insistit, deinde paulatim decedit, ac denique penitus cessat.

Hic observari debet dolorem ægrum immunem minime relinquere: post aliquot enim dies sub vesperam exercebatio & doloris, & pyrexie quotidie

❧ DISSERTATIO MEDICA

modo magis, modo minus vehemens obtinetur quæ usque ad tempus matutinum protrahitur. Verum enim vero morbi initio Paroxysmi intervalla diuturna sunt; nam tertio aut quarto anno semel tantum contingit. Sed ut morbus progreditur breviora fiunt; paulatimque singulis annis semel reëstititur Paroxysmus; deinde bis in anno; tandem, hyeme, ac vere revertuntur: atque ut paroxysmi frequentiores, dolor mitior, donec æger pristinam obtinet sanitatem.

Morbus progressu suo varias partes, unum modo pedem, deinceps ambos, unum post alterum, vexat. Sæpe expeditibus ad alios articulos transit; sæpe duas simul juncturas eodem tempore, frequentius singulas seorsim infestat; aliquando ex una ad alteram ordine quodam pergit; nunc ad priorem revertitur; nunc ad alterum denuo transferitur. Quibus in casibus stomachi ægritudo, & podagræ atonicæ (de qua paulo post dicam) symptomata graviora sunt.

Cum hujus morbi insultus frequentes sint, articu-

ficuli robur & statum naturalem tarde recuperant; si frequentiores, debiles & rigidi eo usque tandem crescunt, ut ad motum inhiabiles omnino fiant.

Quandoque postquam multi paroxysmi repetiti fuere, concretiones quasi cretaceæ ad externam articulorum superficiem, modo licet sub cutè, formantur; Hæc statu fluido disposita est, atque post decubitum sensim exsiccatur, ac durescit. Quæ extracta terram friabilem ab acidis plene solutam esse dicunt. Talis concretio ad immobilitatem inducendam plurimum juvat; nam materia aliquando tumorem, ad ovimagnitudinem, subalbum excitat quæ cum rubore inflammatur.

Ad quatuordecim primos dies urina coloratio adest; quæ post separationem sedimentum rubrum, quasi arenulis repletum deponit. Plerisque arthride per multos annos laborantibus affectio nephritica, omnibus signis quæ calculum in renibus demonstrat, comitata videtur. Hic observatu digum, ex parentibus podagricis aut nephriticis genitos plerumque alterutrum horum affectuum recipere:

uter

8 DISSERTATIO MEDICA

uter apud parentes effectus sit principalis, liberorum quosdam huic, quosdam alteri tantum abnoxios esse docet experientia.

Haftenus historiam *Podagræ regularis* enarravimus, cujus criterium affectio est inflammatoria juncturarum. Sed nonnunquam symptomata, quæ diathesin podagræ inflammatoriam demonstrant, omni systemate videntur; ipsa vero inflammatio nunquam apparet. Hæc affectio vocatur *Podagra irregularis*.

Hujus Podagræ irregularis tres notabiles differentiae à Cullenio observantur, quas *atonicam*, *retrogradam*, & *aberrantem* ipse Auctor nominat. Verum ut omnes morbi mutationes, & varietates, quæ subiri possunt, informam familiarum exhibere debent, ut melius intelligatur, earum species nunc describimus.

Si diathesis arthritica in corpore apparet, sed à quibusdam causis effectum illum inflammatorium circa juncturas minime producit, tum vero stomachi affectiones, appetitus prostratus, dyspepsia, ægritudo,

do, vomitus, nausea, flatulencia, in regione epigastrica dolores adfunt, hæc species *podagra atonica* vocatur. Præterea his symptomatibus dolores ac spasmus pluribus trunci locis, venter adstrictus, colica cum alvo liquida fluente, itemque pusillanimitas, periculi quasi impendentis metus, ad levissima assidua cogitatio, cephalalgia, vertigo, cordis imbecillitas frequenter se jungunt. Hæc omnia si eos, qui antea podagra subjecti fuerunt, aut ejus quædam indicia habuerunt, tali modo invadunt, ægritudinem podagricam labem esse nequaquam dubitari potest.

Si inflammatio ad juncturas, ut solitum, se prodit, sed dolor minime severus fit, nec gradatim descendit; imo repente ex toto cessat, atque partes internas statim afficit, *retrocedens* à Culleno appellatur. Sic aliquando ad ventriculum currit, unde anxietas, dolor, vomitus vehemens nascitur: aliquando cor obtinetur, unde syncope; interdum pulmones, unde asthma; sæpe caput, unde apoplexia, aut paralytis: Quæ cuncta ejusdem sunt morbi par-

B

tes

tes etſi indicia, ſive affectiones variis partibus nobis diſſimiles videntur.

Sæpe hæc diatheſis arthritica non ad juncturas, ut à nobis dictum, ſed in aliqua interna parte ſe oſtendit, ac ſymptomata jam numerata repente apparent. Hæc *aberrans podagra* dicitur. Forte diatheſis nunquam in parte interna inflammationem producit, priuſquam in articulis ea exiſtet? An hoc verum necne, ignoro. Sed detur fic rem ſe habere; cum hujus diatheſis effectus apud articulos ipſe æger non compos ſit, ſicut retrocedente accidit, ratione judico inter eas diſtinctionem facere neceſſe eſſe.

Hic obſervari debemus duos podagræ caſus adhuc exiſtere, quorum unus affectus eſt in collo veſicæ, dolorem, & catarrhum veſicæ inducens; alter vero affectus in inteſtino recto, dolorem quoque, & ſymptomata hæmorrhoidalia inducens. Utrum podagræ retrogradæ, an aberranti tribuendum ſit, determinare non audeo.

Podagra sæpe rheumatismo infunditur. Sed ſi ad præ-

INAUGURALIS. 11

prædispositionem, & antecedentia, ad partes affectas, ejusque cum toto systemate connexionem animi advertamus, hi duo morbi satis certo plerumque intercognosci possunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Podagræ causæ remotæ aut prædisponentes, aut occasionales sunt. Causa prædisponens à nobis jam explicata fuit. Causæ vero occasionales ad duo genera referuntur. Alterum earum, quæ corpori plethoram inferunt; illarum alterum, quæ plethorico debilitatem inducunt.

Primi generis sunt vita indolens & sedentaria, victus animalis & plenissimus, vini & liquorum spirituosorum potus, asperorum, lardi & similium comestio.

Secundi generis sunt venus immoderata, lucubratio, pergræcatio, purgatio extra modum, defatigatio, animi affectus, diætæ subita mutatio, aër frigidus

12 DISSERTATIO MEDICA

dus & humidus pedibus applicatus, indigestio, acidorum denique usus magnus.

Primi generis causæ, ut pro dispositionem instam augeant; secundi vero, ut morbi erumpentia excitent, agere videntur.

CAUSA PROXIMA.

Nunc ad illam partem venimus, quæ difficillima omnium nobis videtur. Medici qui morborum causam proximam detegere cupiunt, multum disputant, libros evolvunt, sed parum sciunt. Cum doctrina antiqua & universaliter recepta multis difficultatibus, meo iudicio laboret; argumenta mea talis opinionis falsitatem monstrantia proponam, deinceps, illam quæ probabilior apparet, opinionem referam.

Equidem podagram à materia quadam morbifica nasci, quæ nunquam in corpora præsens est, eamque quibusdam causis ad articulos, aliasque partes dilatam esse plurimi iudicant. Videamus an hoc
pos-

possibile fit, & œconomiae animalis legibus congruit.

19. Nulla evidentiâ, nullum experimentum, nullae observationes, quae materiam morbificam podagricorum in sanguine, aut quocunque altero humore existentem probent, nobis sunt; imo contra: Padagram eos invadere, qui illibata salute usi erant, eademque frui, dum morbus accedit, dubitat nemo. Argumentum ex materiae cretae adjuncturas concretionis deductum nihil probat; quia hæc concretio nec omnibus accidit, nec ante cernitur, quam morbus diu substitit; idcirco effectus, non morbi causa est. Ergo hujus materiae morbifica existentia dubia est.

20. Quoad materiae morbificae naturam tot sunt sententiæ, tam inter se repugnantes, tanque philosophiæ, chemicæ, & œconomiae animali oppositæ, ut, eas omnino rejicere, jure faciendum sit.

30. Deinde quomodo subita ab uno ad alterum locum morbi translatio per materiam morbificam explicatur? Quomodo hujus effectus admodum diversus; in articulis scilicet stimulans, & inflammatio-

14. DISSERTATIO MEDICA

nem producens, in stomacho sedativus & tonum destruens? Hæc nequaquam congruunt.

4o. *Materiæ morbificæ* laudatores alterum argumentum proponunt: morbus hæreditarius (aiunt) a materia morbifica pendet, unde podagra, quæ ex labe hæreditaria nascitur, tali materia causatur. Sed hujus argumenti antecedens falsum mihi videtur; cum asserti exempla pauca sint; observationes in contrarium multæ. Morbi hæreditarii à corporis structura, & conformatione exparentibus acquisita maxima ex parte proveniunt: quando autem à materia morbifica pendent eorum effectus citius quam in podagra apparent.

5o. Ut materia morbifica podagram inducat, supervim moventem agere necesse est: atqui virium motricium mutatio ab aliis causis, quam & materia morbifica, melius explicatur. Ergo hujus materiæ opinio inutilis est.

6o. Hypothesis materiæ morbificæ ad medendi rationem nihil facit; nam in praxi hæc materia semper neglecta est. Quando morbus ventriculum afficit,

de

de materia expellenda, seu corrigenda, quæ præsens creditur, judicat nemo. Præterea podagra per remedia non super fluida, sed super vim motricem, & systema nervorum operantia, curatur. Ergo materiæ morbificæ existentia tanquam morbi causa falsa est.

Explanatio nostra, quæ morbi phænominis, æconomiæ legibus, & medendi methodo respondeat, ante oculos vestros exponitur. Tortasse plurimis contradictionibus, nobis minime animadversis, obnoxia erit. Sed ea vestro judicio relinquo, ut nobis justiciam facietis.

Cum Podagra vis motricis affectio sit, & vires motrices in systemate nervoso sedem habeant, hujus morbi explanationem systematis nervosi legibus investigare debemus. Systema autem nervosum quibusdem causis, quæ super id directe agunt, debilitatemque inducunt, statim collabitur: Hinc corporis tonum perditur. Hæc satis patent. Omnes podagræ causæ occasionales sunt eæ, quæ debilitatem inferunt: omnes ventriculi affectiones ipsius
tonum

16 DISSERTATIO MEDICA

tonum perditum esse demonstrant: podagræ cura per stimulos & tonicos, qui debilitatem remonent, nunc sistit. Ergo hujus morbi causam debilitatem in systemate nervoso ac per consequens in viribus tricipibus esse censemus.

RATIO MEDENDI.

Præcepta ad podagræ curationem necessaria ad duo genera referri possunt. Quædam extra paroxysmos observari debent; quædam vero paroxysmi tempore sequi. Primi indicatio est, cavere, ne paroxysmi revertantur, aut saltem facere, ut minus frequentes, & minus graves sint: Secundi est, morbi violentiam moderari, & durationem minuire,

Quoad paroxysmi intervalla, hæc observari debent.

Corporis exercitatio tum ad tonum in vasorum extremis augendum, tum ad plethoram minuendam, valde utilis est. Hæc moderata sufficit; nam si

vio-

violenta multum debilitat, & potius excitat, quod evitare cupimus. Si æger aut abitinencia, aut intemperaria antea jam debilis est, exercitatio lenis si necessaria fuerit. Gestatio, si nullam corporis motionem facit, nunquam prodest, idcirco inutilis videtur.

Abitinencia dum corpus vigore gaudet, tuta, & efficax est; sed abitinencia, ubi talis diætæ consilium non ante ineat, tum stimulum vitæ necessarium auferens, periculosa sit; nam subita ad victum tenuem mutatio atoniam importat. Igitur medium requiritur: quod si victus animalis diathesin phlogisticam, atque plethoram auget, vegetabilis stimulum non sufficientem præstat: hinc morbus adolefcit. *Lac. & farinacea*, quæ vegetabili participant propria sunt, & sæpe morbum curaverunt. *Liquores fermentali* omnino vitandi sunt, nisi quatenus consuetudo, aut vis vitæ senescens eorum necessitatem infirat. Tamen cum animali cibo utitur, liquores fermentati cum sua acescentia corrigunt,

18 DISSERTATIO MEDICA

gunt, cum vero, vegetabili atefcentiam augent; unde in animali cibo necessarii, vegetabili viro noxii sunt. Cæterum potus ad podagram aptus sola *aqua* videtur.

Venæ sectiones & scarificationes pedum statò tempore repetitæ morbi reditum cavere dicuntur. Sed an hoc verum sit, certe ignoro.

Præterea plurima remedia inventa fuerunt, quæ aliquando profuisse dicuntur. Sed citò repertum fuit hæc omnia inertia vel perniciofa esse, ideo nos morari non debent.

Portlandiæ pulvis, medicamentum a Galeno descriptum & omnibus scritoribus memoratum, utilissimus habitus fuit sed nunc ratione neglectus est. Homines, qui eo usi sunt, podagra atonica vexantur; & sæpe paulo post finitam medicationem apoplexia, asthma, hydrops miseròs invadit.

Aqua calcis, Alkali seu caustici, seu mites, sapo, terra absorbantes, quæ nephriticis, & calculosis administrantur, more temporis, experimento podagri-

gricis simul tentatæ fuerunt. Ea paroxysmos minuere dicunt, sed an morbum omnino curant, haud scio.

Purgatio, cum alvi adstrictio systema irriter, & indigestionem ac per consequens atoniam augeat, necessaria fit. Hoc observandum est laxativa lenia esse debere, ne corpus debilitent, unde *Aloës*, *rhubarb*, *magnesia alba*, *flores sulphuris* tute adhiberi possunt.

Durante vero paroxysmo hæc observari debent.

Omnis irritatio evitanda est: sed si æger liquoribus spirituosus consuetus, tum non modo permixtus, verum etiam necessarius fit animalis cibi, vini quoque usus modicus. Fortasse hic quæritur, an reactionis, & inflammationis violentia moderanda sit? Sydenhamus animadvertit quo vehementior sit dolor, & inflammatio, eo citius præterlabitur paroxysmus, & intermissio longior, magisque perfecta. Tali casu nulla remedia ad inflammationem, & dolorem minuendum adhibenda judicat Auctor.

20 DISSERTATIO MEDICA

Sed altera parte cū dolor violens, & acutus sit, æger afflictus lamentatur, & opem flagitat: deinde vehementior inflammatio tonum partium potest labefactari, ideoque paroxysmi reversionem properat. Tum nonnulla in ipso paroxysmo ad inflammationem moderandam adhiberi possunt. Quare

Venæsectio in brachio præcipue sæpe utilis. Verum hoc longo continuare tutum non est, quod corporis tonum frangit. Unde

Hirudines pedi & ipsi inflammato loco admotæ, non semel tantum, sed aliquoties sine periculo esse queunt: eorum enim applicatione paroxysmi mitiores, & breviores fiunt.

Regimen antiphlogisticum & plethoram corrigit, & inflammationem minuit. Licet ad ægri sanitatem instaurandam inflammatio necessaria sit, tamen moderatior ejus gradus sufficit.

Præterea *Balneum calidum*, & *cataplasma emollientia* nonnumquam tuto adhibita fuerunt, sed aliquando podagræ retrocedenti occasionem donant. Ejusdem

dem generis sunt *viscatio*, *urriticatio vesicatoria*, *ustio cum moxa*, *epispastica*, quæ omnia aliquando dolorem & inflammationem levant, aliquando vero retrocedunt.

Camphora, & *olea aromatica* dolorem & inflammationem levandi potestatem habent. Sed plerumque affectionem ad alteram partem transferunt, retrocedentemque valde periculosam efficiunt. Unde ratione concludere possumus omnia remedia externe applicata non leve periculum adferre.

In primo podagræ irregularis casu, *atonica* scilicet, curatio omnes causas, quæ systema debilitant, evitando; aut omnes, quæ corpus roborant, administrando perficitur. Quare hujus generis podagra *corporis moderata exercitatio*, *frequens equitatio*, *Balneum frigidum*, aliquod *cibi animalis* corporis tonum fulciunt, atque potenter stimulant.

Ad stomachum confirmandum *ferrum*, *aromatica*, *vinum*, & *spiritus ardentis* aqua temperati, *emetica* *leniora*, *apta cathartica*, *epispastica* ad extremitates,

22 DISSERTATIO MEDICA

si dolor ibi non minatur, utilissima & propria sunt. *Amaræ*, & *cortex peruvianus* cautione administrari debent: nam aliquando diathesin phlogisticam augent. Frigus quoque evitandum est, quod nihil magis ad curationem, quam regio calidior facit.

Opiata melius sine, quam paroxysmi principio exhibentur. Cito enim recidivas vehementiores invitant, fero doloris levamen adferunt.

Si retrocedens stomachum afficit *vinum* eique *aromatica addita* administrantur; si non satis *spiritibus ardentibus* larga manu succurrendum. Si adhuc vehementis impetus, *spiritus allii* aut *asæ fetidæ* impregnati, sive ipsius *asæ fetidæ solutio in alicali volatili* facta: nec non *opiata aromaticis*, vel *alcali volatili*, & *camphora* juncta profuisse videntur. Inter ea *moschum* enumerare debemus.

Si pulmones afficit *antispasmodica*, *opiata*, & *vesicatoria* pectori & tergo imposita necessaria sunt.

Si caput, auxilia valde incerta. Ne autem ægrum deferemus, *vesicatione* capitis, aut *vesicatoriis* ad par-

partes extremas à podagra liberas utemur. Eodem-
que tempore *alkali volatile & aromatica* dari possunt.

Quando aberrans est, *Venæsectio*, alteraque reme-
dia ad inflammationes idiopaticas propria hic re-
spondent.

Plurima remedia ab Auctoribus enumerata sunt,
quorum effectus, si ulli, tam dubii, tamque exi-
gui, ut ea silentio, donec Experientia veritatem
clarius demonstret, præterire mihi liceat.

T. A. N. T. U. M.

III

T. H. E.

T H E S E S.

L

Illæ aëris dephlogistici portio, quæ atmosphera continetur, ad respirationem necessaria, & sanguinis colorem rubrum facit; altera vero portio, quæ major est, animalia necat.

I I.

Demersi non aquâ in tracheam introductâ, sed aëre excluso tantummodo moriuntur.

I I I.

Regurgetatio fluidorum, quin partes lacerentur, impossibilis est: ergo dum vita, nulla regurgetatio.

I V.

Venæ rubræ nunquam absorbent.